

Ye  
4975



x 2044154

Diademate,  
P. P. P.  
felicitatis Carolinæ,  
CORONATUM:



*hoc est,*  
**ZITTAVIA**

Prætoze, Pastore, & Præceptore  
felix,  
quorum



*Prudentia, Pietas & Patientia, integritatis  
testis & amans, dimisso in domum  
Honoris, Favoris & Quietis:*

*VIRO Emerito & Venerando Sene,*  
**DNO ELIA WEISIO,**

Gymnasii Patrii 40: annis Præceptore Tertio fidei,  
*communi Voto & calculo, in locum ejus,*

*Virum Eximiâ Pietate & Eruditione Clarissimum,*  
**DN. M. JOACHIMUM CURTIUM,**

Vocationis, inaugurationis & cooptationis, solenni ritu

Anno 1679. 14. Martii præmissis, substituit:

*Additum, de votâ pietatis reverentiâ Introductioni,*

à TOBIA MASNICIO, ante in Verbo Gratiae, Ecclesiae Illaviensis  
in Hung. Ministro, nunc Exule Christi, loco

AMEN.

*Typis Michaelis Hartmanni.*



SUB SIGNIS VIREAT



LIBERTAS POSTERITATIS.

**C**arolus & Religionis instauratione & curâ Literarum Magnus, tot Cœnobîa seu Scholas quot Alphabeti Literæ essent per Germaniam dicitur erexisse, oblatâ singulis, puri auri Literâ fusâ. Hic quoties in aliquam Civitatem venit, de triplici P. quale illud, hoc est, qualis Prætor, Pastor & Præceptor esset, quæsit: omnia ibidem Sancta esse existimans, ubi hi Sancti boniq; reperirentur. Nec immerito: Felix etenim Respub. illa est, ubi præsunt Sapientes Solones, benigni Demosthenes, justî Aristides: beata Ecclesia, in qua non Lupeſcentes Pastores; sed Tertulliani fandiâ, pietate Chrysostomi, Doctrinæ sinceritate Athanasii, Disciplinæ observantiâ Ambrosii, præpositi sunt, qui lacte sinceritatis à Præceptoribus in Scholis, Prisciani industriâ, Maronis Patientiâ Ciceronis Eloquentiâ, Aristotelis Sapientiâ, zelo B. Lutheri, claris, inutriti, solido dein cibo Virtutum, in Curia & Templo Plebem pascunt. Sanè, si Heroum in Humilibus etiam non minuitur gloria, quid, si quis Carolus Magnus Præclaram Zittanorum contueretur intimius Rempub. annon hoc triplex P. ex Voto suo admiraretur? Edicerem clarè quod res est, triplici P. Z. illustre, nisi illud præesse benè & prodesse mallet, quam ab aliis prædicari. Et dum tuta impera silentia pudor, non lingvâ vel aure; sed oculis opus esse iudico, dum Cælo virorem largiente sub RUTA, Velut Ficu umbrifera Z. tripudiat, & ab ea Eccle-

sia



*fla Sangvinem; Literæ vigorem, Libertas Spiritum, Patria Cives, Saxonia flo-  
rem, Zittavia medelam, à decussatis Verò GLADIIS: defensionem, à Marte  
Artem, à Bellona Pacem, à gladio Caduceum, Z. inquam illud, à dextris Leo-  
ne, à sinistris Aquilâ, Custodibus Literarum, illustre, aucupatur. Olim Palla-  
dium Colchicum, (cogam in fœdera testes:) Dracone & Tauris vomentibus  
flammas, communi sanè iudicio, res omni preciosior auro, custodiebatur; annon  
verò hodie. Z. aureum vellus, Pia scilicet Literatura, Prudenti consilio Ma-  
jorum quasita, in præclaram Zittanorum illata, Vigilante curâ & Religionis  
devotione sera à posteritate custoditur & fovetur? annon sub Leonibus & Aqu-  
lis, in solidam Eruditionem, Germaniam maturuisse, Z. Leonis Prudentiâ &  
Aquilæ Perspicaciâ munitum, hodie testatur? Vireant porro felicia ferta, immo-  
ti diu maneant gladii, ut Z. Leone & Aquila cinctum perennet felix Lemmate:*

*Sub signis vireat Libertas Posteritatis,*

*His vireat signis posteritatis amor!*

*Crescat in immensum Zittensis gloria gentis,*

*Crescat & in celsis nubibus ora locet!*

*Templa fidem teneant, Themis aurea regnet in Urbe:*

*Mars cedat, Virtus, pax sine Marte regat!*

*Esse procul tristes, infamia Numina Diræ,*

*Zitta Deum, Pacem, Justiciamq; cole!*

**Z**

## **Respice Finem.**

*Inoffensa vigilatæ Prudentiæ prosperitas, à fine, actionum Vitam, à coronide  
operis lemniscos, à clausulis exordia aucupatur, & quicquid vel aggreditur  
vel agit, Solonis illud omni præfigit operi: Respice finem, quem, quasi oeco-  
norum omnium actionum primum, sive cum Alexandro honestatem, vel cum  
Apicio, juncunditatem, aut cum Crasso & Lucullo utilitatem censeat, o-*

*A 2*

*pta-*



tato non excidit Voto. *Z*, hoc præclarum, quid aliud si non coronidem operis, hominem ex ruderibus, in novam velut Creaturam literis excitatum designat? Certè fons Pegaseus sunt Scholæ, cujus latices, universum orbem copiose & feliciter inundârunt: aut si major Equus Epeus, è quo fortium armatorum ad obtinendam Curiam, Ecclesiam & Scholam, erumpit multitudo. Nec frustra pro litera excubat Leo, cujus Vigilantia, consiliorum mater, Prudentiæ regula: Fortitudo, quæ in malis diu jam exercita, occaluit ad labores: Amor in Clientes, qui in excelsis animis, tantò major est, quantò fortuna & Virtus est celsior, velut quoddam perennaturæ famæ domicilium in *Z*, collocavit. Nam & si magnum & inestimabile Naturæ bonum sit, ingenuis & Claris esse Parentibus, cum Nobilitas, si Ciceroni credimus, laudis domesticæ oblivisci non sinat: si Nazianzeno fidem damus sit Parens & Nutricula Virtutum maximarum, imò sit publicum juramentum Virtutis; tamen sæpè, ut Ennodius verè dicit: inerudita Nobilitas cœleste munus abjurat. Rectè ergo Constantinus; Utinam ex eruditione potius commender, quàm ex Imperio! Et Aristippus, ea propter se doctrinam haurisse, ne si Theatrum ingrederetur Lapis Lapidi super imponeretur, dicebat. Nihil opus hîc est Oedipo: hodiernæ enim Inclyti Magistratus *Zittani* vigilata prudentia hoc animi robur, hunc Literarum amorem prodit, dum ex intuitu finis Studiorum, fundamentis providet ne tota Respub. pessum eat. Nec frustra Prætor, omnis Magistratus ita ab initio dictus, quasi Præ-itor teste Varrone, quid aliud monet, quàm quòd exemplo bono præire, aut exemplo bono, teste Livio, præesse debeat: ecce verò hæc Virtutum coronâ *Zittavia* redimita æmulationem mereatur, Gymnasium irradiatum invidiam capit.

Salve igitur illustris Corona Patrum  
 Nobilissime SENATUS! qui  
 NATUS ES UT SANES  
 ægotans Seculum, dosi Literarum:  
 Hinc, seu cupias Sionæ, seu desideres Parnassum.  
 Deo & Musis intueri Sacrum:  
 ecce enim,  
 parta Majorum industriâ

[Hæc-



*Heredes Virtutis Patria,  
Literarum tuentur Tempe.*

In Judiciis acuti, inq; consiliis felices,  
& quasi nati Consi,  
domini, domini:

CHRISTIANUS MULLER C. R.

Curâ Reipub. insignis

ILLE CHARUS MINISTER,

Principis. Politiae. Famæ. Negotiorum, &

CLARUS ARTIS LUMINE

Locomotivæ Christianæ.

DAVID JENTSCH J. V. L.

Justitiæ Vita, Lex,

& Salus Populi,

Suprema Lex cum sit,

HINC SUA DEDIT:

Vigilantiam, Prudentiam, Laborem,  
pro Salute Civitatis.

ALBERTUS GIRISCH

RE BIS HIC GRATUS

BIS CLARUS REGIT,

Justitiâ, Pietate & favore,

Populum obsequentem.

JOHANNES PHILIPPUS STOLLENS J. U. L.

In Virtute Literarum excellens

Præit & Præest,

SPES PLENA POPULI. NIL HOSTI,

inde, nisi suffusio tollenda erit.

JOHANNES JACOBUS AB HARTIG J. U. D.

Ingenuos Unit Doctrinâ

Probitatis:

BIS HAEC UNA O GRATIA BONIS!

omni encomio major.

A 3

MAR-



MARCUS MULLER,  
hoc illustri consortio excitatus,  
CUR MALLEM RUS?

*inquit:*

Magni scilicet sunt facienda,  
magni quæ constant.  
GODOFREDUS NESENU

URGENS NOSSE FOEDUS,  
Cum Civis prima sit Virtus:  
foedera nosse.

CHRISTIANUS THUM,  
UT MANUS CHRISTI,  
commembris ejus,  
beneficia spargit.

GODOFREDUS RODOX,  
FORS DEGO? DUX, ORDO.

Ita scilicet Vigilans perpetim  
solicite providet, ne ordo  
Duce destituatur.

CHRISTIANUS KAPS  
HAS CRUCIS SPINAS  
quæ bene merentibus  
succrescunt affatim  
Rosas tandem daturas  
ominatur dulces.

CHRISTIANUS GEBHARD.  
praxi Pietatis christianæ clarus,  
CHARUS DABIT HINC RES,  
notionibus signatas.

GODOFREDUS EBERHART,  
HERBAE ODOR GRATUS.  
quæ curâ bonorum sedulâ

fuc-



succevit in altum:  
Infrugiferæ enim spontè nascuntur  
sed & sine utilitate.

CHRISTIANUS BÖTICHER,

HIC ERAT CHRISTI BONUS,  
Oeconomus, Servus, Miles,  
quod Vitæ Probitas,  
& laboris testatur  
benedictio.

ABRAHAMUS SCHURICH,

HUC CHARA, SUB MIRA,  
Virtutum cogit Serta  
Pignora Posteritatis:

JOHANNES CAROLUS JUST,  
Sapientiâ Summâ,

EN SALUS JUSTI AC HONOR!  
Dei & Sui Notitiâ gaudens.

*Quid memorem dotes Sophia? fac inspice Patrum*

*Nomina: flos Zittæ, jure vocandus erit.*

*Hisce rosisserta, his pro Z, connexa Corona:*

*Dum viret hæc, felix Zittava semper erit.*

*Vivite felius ô Patres, vivite semper!*

*Absint à Vestris tristia fata focis!*

*Tandem completis, Cæli sint Templadiebus,*

*Nominibus Vestris, Patria tuta domus.*



Z

Memorare novissima.

TRISTE quidem multis, sed maximè necessarium Verbum, unde videlicet felici-  
tatis



fatū & infelicitatis humanae dependet iudicium. Diem non ex ortu sed ex  
occasu laudare solemus, & serena dies est quæ Vesperam innubem habet. O  
quàm pauci nos ipsos, omnes alios novimus nobis nos latemus perpetuò. Novit  
seipsum is, qui voluptate spreta, in hoc se vivere didicit, ut velut candela flam-  
ma se vo consumpta prosit aliis: novit & ille seipsum, qui cogitat ex gleba mor-  
tali se compactum, ut tandem dissolvatur. Hic labor hoc opus est Venerabilis  
Ministerij ad Dei Populum scilicet Memoria novissimorum; usq; etenim  
adeò est homini mens cæca futuri, ut vel præsentia vix præsentiat pericula.  
Inde tot myriades hominum pereunt, Pyrophoris Theopneustis destituti, quia  
facultate quâ pollem omnes, scilicet mentis  $\kappa\upsilon\lambda\omega$  ac reflexione non utuntur,  
gregum brutorum more arietes præeuntes sequentes, non quo eundum, sed quo  
itur. Aquilinis scilicet opus est oculis in tempora posthuma, ut quæ non in arena  
sed rupe nidificat, in Sole apricatur, exq; luce vigorem ex splendore Vires, ex  
radiis Spiritum ducit, & dum subvolat in altum non in terra, sed in Cælo, ubi  
Beatorum polyteuma desigit lumina, ita enim conatus Sapientis semper est ad  
perrenia, ut velut Cælo delapsus subinde ingeminet: Memorare novissima.  
Aquilam hanc in Domo Domini, Soli Leonis officiosam, Venerabile Ec-  
clesiæ Zittanæ Ministeriū dum contueor, conspicio ejus dignitatem & autho-  
ritate plenam, ut quæ hominibus vivendi Leges indicat, & Sanctitatis laude præ-  
cellentem, ut quæ Numinis timorem intra officij sui terminos cohibet, & Divi-  
nitatis splendore admirabilem, ut quæ Cælos solius fidei clavibus aperit, ac peccati  
remittendi potestatem habens, etiam Angelorum humeris tremendum officium in  
terris peragit, quàm verò dextrè, quàm fideliter, quotidiani eorum Sacri inde-  
fessi loquuntur labores. Carolus Magnus dum à famulatio Aulæ interrogare-  
tur, quanam sepulcro insignia incidi juberet? Sola, inquit, mortis sculpetis  
insignia, cum inscriptione: Sola mors æquat omnia, Sceptra scilicet peris,  
glorias contemptu, Divitias inopiâ, confundens. Et memor B. Augustinus Judi-  
cii, quid, inquit, potest lamentabilius & terribilius cogitari, quàm ite? & quid  
delectabilius exprimi quàm Venite? duæ sunt voces quarum nihil horribilius  
nâ, & nihil jucundius alterâ poterit audiri. Felix, qui prius in morte, quam de-  
finit in Vita, peprehenditur, æquè ac qui ante Iudicium aut terretur pœnâ, aut  
solatur Vitæ æternæ gaudiis. Augustus Imperator si quid fecit cujus eum pœnit-  
it, exclamabat: Horum nihil mihi accidisset, si aut Agrippa aut Mæcenæ vixis-  
set, ita scilicet qui in tempore monet & hortatur, salutariter docet.



Vitia sine Magistro discuntur;  
Ast Virtus difficilis inventu est,  
Ducem Rectoremq; desiderat.

En verò hodie  
in domo Domini,  
ECCLESIA ZITTAVIENSI,  
confiliorum Patres

Venerandos,  
Diei æstum & Lunæ frigus,  
Sacrae Virtutis amore,  
in Vineâ Domini portantes:

M. JOHANNES FRANZ Past. Prim.

gratiosos Populo,  
Velut arbor frugifera,  
quotannis novos,  
Myfteriorum Dei,  
profert fructus.

Et à turpitudine Mundi exitiosa,  
per fidelium Virtutum præmia,  
ad Portas Paradisi,  
Præco Pœnitentiæ,  
ducit credentes,

M. ZACHARIAS SEEZOMAN/ Archid.

Verbo & opere potens,  
rectè Verbum Dei secare,  
& nil sine usu dicere novit.

Dumque rigat terram,  
feliciter plantat Cœlum:

Deo largiente  
incrementum.

B

M. MI-



M. MICHAEL SCHULTZ

Pericleo fulmine

& mixto genere clarus,

Ut seu discendi, seu corrigendi

aut imitandi Studium delectet,

tuo feliciter evadas Voto.

M. GEOGIUS SCHÖNBERGER

Virtutum Studiosus:

piâ Epanorthosi,

Velut alter Hercules,

Capita Hydrae, vitia refecat,

Et cum Romanis Ebrios & maleferiatos,

in Scenam producat,

Sapientiam Sobrietatis

conciliat.

M. MARTINUS HERMAN

Indefessus Labore Sacro,

Ad domum Domini

Lapides Vivos advehit,

& Lacte Doctrinae

Angulari Lapidi unit feliciter,

Catecheta Nobilis.

*Pergite felices animae, Virtutis amantes,*

*Utilis est Vita, Vestra Corona pia.*

*Proroget alma Trias Vitam, Vestrosq; labores!*

*At tandem, Caeli Spos, potiora ferat!*



Z

Exitus acta probat.

IM M

13



**I**ngeniosissimi mortalium Poëtae, Studij Scholastici varietatem cum difficultate  
& in utroq; varia præcipitia Dædalei operis fabulâ jucundè expresserunt. Ut  
enim Dædalus admirabili operis raritate, omnibus stupendum seculis erexerat  
Labyrinthum, in quo & varietas errorum fatigaret & splendor alliceret in  
amorem: ita & in Ludo Literario est quod delectat, est quod cruciat, modicum  
istud, illud copiosum. Artium varietas & multitudo Publica, & privata utili-  
tas, annon sunt jucundæ deliciae? ast si tam varias sectas, diversas Sententias, &  
numerosas opiniones intimius contusaris, nihil hoc Labyrintho perplexum magis  
judices. Ut Hæreticorum taceam in Theologia præcipitia, cynosurâ Verbi Dei evi-  
tandas, video Alpharabios, Avenroes, Avencenas, Themistias, Zenones, Scepti-  
cos, Seraphicos, Calculatores, Duntos, quot nomina tot opinionum capita: meatus  
hic & ductus variij facile in errorem præcipitantes, adeo ut felicitas sit invenire  
aliquem Theseum, qui Juvenes Labyrinthæis nexibus involutos, prudenter, ner-  
vosus & dilucidè ad optatum exitum, ne Minotauro per morum dissolutionem  
in hostiam cedant, ducat, exitus enim acta probat. Sunt verò & Seculis  
nostris sui Thesei, qui filo Ariadnes ornati & se & Juventutem sequacem ex  
Labyrintho queant deducere. Fecerunt id passim plurimi conantur non pauci.  
Et hodie Publicæ Salutis Zittaviense Gymnasium, suis gaudet Theseis, qui ab  
infimis ad superiora à principiis Literarum ad finem optatum, ab erroribus in  
Viam, ab opinione ad Scientiam, à Scopulis ad portum, ab exitio ad exitum  
Discentes ducunt. Quia verò Musæ non uno ubere nec uno succo ad Sapientiam  
enutriunt, hinc Publica authoritas Octoadem Præceptorum pro numero Artium  
Liberalium, quos unus Parnassus, una Hippocrène sociat, Juventuti erudien-  
da præfecit, qui memores Z Litteræ in Campo rubro posita, non sudori nec San-  
gvineo parcunt labori, donec eorum conatus pius, optatum sortiatur exitum.

Omine fausto,  
Vir Publicæ Salutis,  
**M. CHRISTIANUS WEISE** Gymn. Rect.  
Initia Introductionis,  
disponendo impendit Gymnasio:  
Ut verò jucundis temperaret ardua,



W 4975  
ineunte æstate,  
Insigne Patriæ, ut Pius Æneas:  
Z. ut Solon Sapiens:  
Spem Civibus,  
Optatum Juvenibus Studiorum  
exitum, actu pollicitus:  
Et quia Juventutis Antumnus optimus esset.  
Munera per Sylvam,  
Conos Abiegnos: Juniperi ramos:  
Boletos tandem: Silices atq;  
Divinitate quadam ingenij  
Lemmatis divisa  
offerenda jussit:  
Hyemem rigidam,  
curiosâ temperans Logicâ.  
In vere scilicet flores: in æstate Literæ:  
in Autumno fructus: in hyeme abstractiones  
& Superiorum contemplationes leguntur.  
*Huic operas jungunt insignes Arte Magistri*  
Antonius Günther: Curtius ecce subit,  
Doctus succedit, suavi modulamine Kræmer:  
*Emicat annon Krank / dum grave sentit onus?*  
*Parq; Tibi labor est Classis, dexterrime Junge;*  
Christjano Döring / jungitur Arte Jone.  
*O Vos Thesides quos filo Ariadna donavit,*  
*Conatus vestros adjuvet ipse Deus!*  
Zittæ flos vernet: Prætor, Pastor, Præceptor!  
Vix poterit lerto, Z. meliore tegi.







Diadema

P. P. P.  
felicitationis Carol  
CORONATUM

hoc est,

ZITTA

Præatore, Pastore, &

felix,

quorum

Prudentia, Pietas & Pat

testis & amans, dimisso

Honoris, Favoris &

VIRO Emerito & Vo

DNO ELIA

Gymnasii Patrii 40: annis Præ

communi Voto & calculo,

Virum Eximiâ Pietate & Era

DN. M. JOACHIMU

Vocationis, inaugurationis & co

Anno 1679. 14. Martii præ

Additum, devotâ pietatis rever

à TOBIA MASNICIO, ante in Verbo

in Hung. Ministro, nunc E

AMEN.

Typis Michaelis H

KODAK Color Control Patches

Kodak

LICENSED PRODUCT

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches

Centimetres

BIBLIOTHEK  
LE  
E

75